

tum ex Dei majestate, et honorum abundantia, qui sibi sufficiens est, et omnium benefactor, et nullius beneficii indigens aut capax, prout ipse per Prophetam, Psalm. 49, profitetur dicens: *Audi, populus meus, et loquar, Israel, et testificabor tibi; Deus, Deus tuus ego sum, non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos, etc., meus est enim orbis terræ, etc.* Idemque nos Christus Dominus docuit Luc. 17, dicens: *Cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite: Servi inutiles sumus.* Quibus evidenter nos Christus instruit ut non solum nos aliquid Deo contulisse, aut dignos aliqua Dei gratitudine propter servitia illi exhibita non reputemus, verum potius nos servos inutiles esse sentiamus. Unde in verbis præcedentibus expresse hanc gratitudinem a Deo excludere videtur, dum asserens exemplum de domino humano, cui servus ad nutum obedit, interrogat: *Numquid gratiam habet servo illi, quia fecit quod ei imperaverat?* Et respondet: *Non puto.* Et adjungit: *Sic et vos cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite: Servi inutiles sumus,* id est, nihil Deo præstitimus, quod sibi debitum, imo quod suum non esset. Unde Cyrillus ibi, in Cate-na D. Thomæ: *Considera (inquit) quod, qui apud nos dominantur, non referunt gratias cum aliqui subditorum statuta sibi prosequuntur obsequia, etc.* Et eodem modo expendunt verba illa ibi Theophyl. et alii. Ex quo tale conficitur argumentum quasi a minori: quia inter homines servus non est benefactor domini, et ideo non tenetur dominus ei gratum se ostendere, nec debitum gratitudinis in eo locum habet; ergo multo minus potest Deus ex gratitudine obligari ad hominem ad beneficium recompensandum; ergo neque remuneratio meritorum apud Deum est ex debito gratitudinis.

14. *Instantia ex D. Thoma et Seneca.* — *Prima responsio.* — Dicit aliquis potius inter homines posse dominum ex gratitudine servo obligari. Nam D. Thomas 2. 2, quæst. 106, art. 3, ad 4, cum Seneca, lib. 3 de Benefic., cap. 21, sic inquit: *Quamdiu servus præstat quod a servo exigere solet, ministerium est; ubi plus quam a servo necesse est, beneficium est. Et ideo servus ultra debitum facientibus gratiæ sunt habendæ.* Ergo pari modo, cum homo sit Dei servus, quando ultra debitum, quod ab eo exigitur, Deo servit, illi gratia seu gratitudo haberi poterit et debet, præsertim quando affectu amici Deo servit; nam,

ut ibidem ait D. Thomas, ubi in affectum amici transit, incipit vocari beneficium. Respondeo imprimis, saltem hinc sequi opera præcepta non esse meritoria apud Deum ex gratitudine, quia illa sunt necessaria obsequia, quæ a servo Dei exigere solent; ergo vel omnino meritoria non sunt, quod dici non potest, vel ex alia virtute Dei remuneranda sunt; omnia autem merita de condigno, sive sint operum præceptorum, sive consiliorum, eadem virtute remunerantur.

15. *Altera dilutio.* — Deinde servitus hominis ad Deum longe altior est et major, quam sit hominis ad hominem, nam homo, licet ut servus hominis sit inferior illo, ut homo est illi æqualis, unde non est sub dominio ejus quoad vitam et membra, nec quoad omnes omnino actiones, sed quoad illas quæ et sunt proportionatæ humano servitio, et commoditati, et convenienter exhiberi possunt. At vero respectu Dei homo est servus quoad omnia, quia et quoad vitam, et corporis integritatem, et quoad animum, et omnes ejus actiones est sub dominio Dei; ita ut, licet nunc quasdam actiones homini præcipiat, et non alias, posset omnes bonas actiones præcipere et exigere, si vellet. Et ideo in rigore, attento dominio Dei, et ipsius respectu, nullum est opus ultra necessitatis exigentiam, vel formaliter, vel radicaliter, ut ex Euthymio notavit Maldonat. in id Luc. 47: *Servi inutiles sumus,* qui merito etiam addunt, opera consilii, seu quæ superogationis dicuntur, licet non sint debita Deo ex præcepto quoad exercitium (ut sic dicam), sunt tamen debita debito gratitudinis, nam hoc debitum nunquam potest homo exhaurire aut explere. Et ideo sunt debita, ut obsequia in honorem et reverentiam benefactoris exhibita, hoc enim est gratitudinis munus, ut divus Thomas supra docet. Et ultra hæc illa etiam opera aliquo modo fiunt juxta præceptum Dei saltem conditionatum, seu quoad specificationem; nam, licet non teneatur homo illa facere, tamen, si faciat, tenetur illa recte et honeste ac in gloriam Dei facere, et sub ea tantum ratione meritoria sunt. Unde non sunt ultra debitum, quod vel aliquo modo exigitur, vel exigere potest, et ideo nec respectu talium operum gratitudo propria in Deo locum habet.

16. *Alteri tacite instantiæ occurritur.* — *Suadetur quarto posita assertio.* — Neque satis est quod per gratiam talia opera ex affectu amicitiae divinæ fiant, quia nunquam potest

ab eis separari ratio obsequii debiti; imo ille etiam operandi modus potest a Deo exigere per modum servitii et debiti obsequii. Præterquam quod ex gratitudine illi debitum est, quod secus est in humana servitute. Unde novum insurgit argumentum, quia quicquid homo bene operatur, vel operari potest, debet Deo ex maxima gratitudinis obligatione, cui nunquam potest ad æqualitatem satisfacere, tum propter infinitum excessum majestatis benefactoris; tum etiam quia cum ipsomet bono opere, quod novum Dei beneficium est, crescit; ergo fieri non potest ut ex talibus operibus in obsequium Dei factis gratitudinis debitum in Deo resultet. Probatur consequentia, quia ex solutione debiti etiam æquali non oritur nova obligatio similis in eo cui satisfactio fit, multoque minus oriri poterit ex inæquali. Unde D. Thomas, dicta quæst. 106, artic. 6, argum. 2 cum solutione, ait quando inter homines recompensatio beneficii non excedit beneficium acceptum, nullum gratitudinis debitum in priori benefactore resultare; si autem recompensatio excedat, tunc ex illo excessu posse in priori benefactore oriri obligationem gratiam recompensandi, et sic non esse inconveniens procedi in infinitum in mutua gratiarum actione. At vero beneficentia inter Deum et hominem necessario debet inchoari a Deo: *Quis enim prior dedit illi, et retribuetur ei?* Et homo nunquam potest ad æquate, nedum superabundanter recompensare Deo acceptum beneficium. Ergo nunquam potest ex opere hominis gratitudinis debitum in Deo reperiri. Eo vel maxime quod, ut Concilium Arausicanum ait, in omni opere bono nos non incipimus, et ideo, quicquid in Dei obsequium faciamus, Deus ipse incipit benefaciendo nobis, et ideo respectu cujuscumque actionis hominis ad Deum comparatæ, illud locum habet: *Quis prior dedit illi, et retribuetur ei?* Ergo ex opere hominis nunquam potest Deus ad gratiam habendam obligari.

17. *Suadetur quinto.* — *Vasquez 1. 2, disp. ult., c. ult., in fine.* — Ultimo argumentari possumus ad hominem contra hos auctores, qui Deo tribuunt debitum et retributionem ex gratitudine, ne justitiam veram illi tribuant. Nam argumenta quibus conantur ostendere in Deo non esse justitiam, si cum proportionem applicentur, multo magis in Deo non esse gratitudinem ostendunt. Hujusmodi est illud quo dominus non obligatur servo ex justitia, nam, ut ostendimus, multo minus obligatur

dominus servo ex gratitudine; imo, licet obligatio justitiæ major videatur, in hoc differt ab obligatione ex gratitudine, quod illa potest oriri ex voluntate debitoris, saltem radicaliter, quatenus voluntate voluit promittere aut pacisci; at vero obligatio gratitudinis non fundatur in voluntate recipientis beneficium, sed necessitate quadam ex beneficio oritur, et ideo ex hac parte magis Deo repugnat. Deinde solet negari justitia commutativa Deo, quia constituit æqualitatem in datis et acceptis, quæ non habet locum in Deo; at vero gratitudo etiam ponit æqualitatem, vel excessum, inter recompensationem et acceptum beneficium, quod multo magis repugnat Deo. Respondent posse in definitione gratitudinis accipi beneficium non stricte, ut sonat, sed abstractius, ut significat opus alteri gratum. At enim si hoc eis licet, cur nobis non licebit æqualitatem dati et accepti non materialiter, ut sonat, sed altiori modo conceptam justitiæ divinæ attribuire? Accedit quod ad gratitudinis debitum non satis est opus alteri gratum efficere, alias quotiescumque alius opus facit, quod mihi est gratum, seu mihi placet, tenerer ego ex gratitudine illi gratiam referre, quod falsum esse constat. Oportet ergo opus transire in veram beneficii rationem, ut vera gratitudo locum habeat.

18. Unde frustra laborant dicti auctores in accommodanda ad Deum doctrina, quam de gratitudine inter homines D. Thomas tradit 2. 2, quæst. 106 et 107, ubi distinguit gratitudinem, quatenus recompensat beneficium, a justitia, quia hæc solvit debitum legale, illa recompensationem ex honestate debitam propter beneficium retribuit; item quia justitia respicit acceptum cum stricta obligatione reddendi, ut in mutuo, et similibus; gratitudo autem respicit beneficium gratis impensum, ut illud recompenset; et illa tantum respicit effectum, ut æquale reddat, hæc vero respicit affectum ut abundantius tribuat. Frustra, inquam, hæc in præsentia causa afferuntur, nam, licet inter homines vera sint, ad Deum et ad merita hominum apud ipsum non bene accommodantur, quia ex altera parte deficit fundamentum debiti gratitudinis in Deo, quia nec homo potest beneficium gratis Deo impendere, nec Deus est capax illius. Unde, licet in meritis humanis aliquæ conditiones considerentur, quæ gratuito beneficio sunt communes, ut quod magis ex affectu pendeant quam ex effectu, et quod



spontanea voluntate exhibeantur, inde inferri non potest merita nostra esse materiam gratitudinis, cum deficiat ratio beneficii non debiti, quod est quasi substantia seu unicum fundamentum gratitudinis. Quomodo autem illæ conditiones justitiæ non obstant, paulo post explicabimus.

19. *Corollarium primum contra secundam partem opinionis positæ in num. 7. — Corollarium secundum contra primam partem ibidem.* — Ex his ergo concludimus primò, justitiam, per quam Deus præmia meritis tribuit, non esse aliquam virtutem, quæ sit pars potentialis justitiæ; nam si quæ esset, aut gratitudo, aut fidelitas esse deberet, nam aliæ aut non versantur circa aliquam retributionem, vel recompensationem, aut debiti solutionem, ut liberalitas, veritas, et si quæ sunt hujusmodi, vel si aliquo modo persolvunt debitum, est cum inferioritate et inæqualitate ex parte debitorum, ut sunt religio, pietas et observantia, et ita de aliis partibus potentialibus justitiæ nulla est controversia; sed neutra ex illis duabus esse potest, nam de gratitudine id ostensum est. De fidelitate vero adversarii id supponunt, sed putant ejus obligationem esse extrinsecam et adventitiam ad meritorum retributionem, quia per se non respicit opus alterius, sed actum ipsius debitoris, qui est promissio; nos autem id probamus, quia fidelitas in promissione fundatur; promissio autem, si sit absoluta seu simplex, non respicit meritum, et de illa procedit ratio proxime facta. Si vero transeat in vim pacti, inducit obligationem justitiæ, et non solius fidelitatis, et ideo si in meritis interveniat, illa remunerare non erit officium fidelitatis. Unde secundo concludimus justitiam, per quam Deus præmia meritis hominum retribuit, esse aliquam ex his quæ partes subjeptive justitiæ dicuntur, quatenus formaliter quidem, eminentiori tamen modo quam in creaturis, possunt in Deo reperiri; quæ autem illa sit, et quomodo Deo sine inconvenienti tribuatur, nobis explicandum superest.

20. *Notatio pro statuenda propria justitia in Deo.* — Supponimus autem imprimis et admittimus duplicem illum modum merendi apud Deum, scilicet, vel nulla præmissa promissione ex parte Dei quasi ex sola vi ipsius operis, moralis, ac liberi, et præsertim facti ex aliquo gratiæ auxilio, ut nunc loquimur, vel præmissa promissione, non quidem omnino simplici et absoluta, nam hanc non postulat meritum, ut per se constat, sed condi-

tionata et respiciente merita quibus retributionem, vel beneficium aliquod promittit, si fiant. Et hæc rursus duplex esse potest, vel sub conditione operis inæqualis, seu imperfecti, vel perfecti et condigni, et de his omnibus sigillatim dicendum est.

21. *Assertio quarta in ordine, ac bipartita. — D. Thomas 2. 2, quæst. 47, art. 10, 11 et 12, etc.* — Dico primo: si Deus remuneret merita absque promissione antecedente, in qua ipsa fundentur, tunc retributio fiet ex justitia quadam legali, quam etiam remunerativam, seu providentialem, aut gubernativam appellare possumus, non vero ex commutativa, seu ex proprio debito justitiæ. Hanc assertionem tractavi, explicavi, et probavi in dicta disputatione speciali de Justitia Dei, sect. 9, per totam, tam diffuse, ut nihil fere addendum occurrat. Quia quod in Deo talis virtus formaliter sit, et quod ratione distinguatur a cæteris, non videtur posse dubitari, quia et speciale habet objectum et motivum, ac operandi modum, et necessaria est in principe, et maxime in supremo governatore. Item in intellectu divino recte intelligimus prudentiam illam, quam morales philosophi politicam vocant, quia bonum communis procurat, non tamen politico, seu civili modo, sed altiori, juxta doctrinam D. Thomæ, 4 part., quæst. 21, artic. 4, ad 1. Possumusque illam prudentiam cum Aristotele, 6 Ethic., architectonicam vocare, dummodo in intellectu Dei supremi gubernatoris in summa perfectione et per essentiam reperiat, in cæteris vero gubernatoribus analogice, et per quamdam participationem reperiri intelligatur; ergo huic intellectuali virtuti divinæ aliqua virtus in voluntate respondet, per quam secundum talem prudentiam regere et gubernare possit, unicuique rei tribuendo quod illi suo modo debitum et proportionatum est, ut inde bonum totius universi resultet, conservetur, aut promoveatur. Et hanc vocamus justitiam legalem, quia in nobis prudentiæ politicæ justitia legalis respondet, ut D. Thomas cum Aristotele docet, et ita nos concipimus etiam in Deo justitiam illam ad modum legalis justitiæ, quia, licet sit longe excellentior quam humana, in hac generali ratione convenit, quod æquitatem servat cum omnibus in ordine ad commune bonum, singulis distribuendo quod unicuique proportionatum et quodammodo debitum est. Neque hoc novum inventum nostrum est, ut aliqui nobis objiciunt, nam de illa passim Sancti Patres et

Theologi loquuntur, cum divinam providentiam ejusque æquitatem declarant. Et eandem agnoscit D. Thomas, 1 part., quæst. 21, et 1. 2, quæst. 21, artic. 4, dum ait ad justitiam Dei pertinere nullum bonum opus irremuneratum relinquere. Non ergo nova cudi-mus; sed antiqua, quantum per divinam gratiam possumus, ex Theologiæ et Philosophiæ principiis explicare conamur.

22. *Suadet jam assertio quoad primam partem, intervenire, scilicet, dictam justitiam in retributione meritorum.* — Supposito ergo in Deo hoc attributo justitiæ, probatur prior pars affirmans assertionis. Quia ex dictis satis constat hunc actum retribuendi præmia hujusmodi meritis ad aliquam justitiam pertinere; nulla autem potest intelligi magis proportionata illi actui, quam hæc justitia legalis seu providentialis; ergo. Probatur minor, tum quia reddere præmia pro meritis est actus ad convenientem hominum gubernationem maxime necessarius; ergo pertinet ad illam justitiam, quæ huic muneri principaliter intendit; tum etiam quia, sicut per hanc justitiam Deus, ut naturæ auctor, servat naturalem proportionem, et quasi debitum, in conferendo singulis rebus accidentales perfectiones singulorum naturis proportionatas, et unicuique causæ secundæ facultates, concursus, seu auxilium ad connaturales ejus operationes necessarium, ita, ut moralis gubernator agentium liberorum, retribuit unicuique juxta operum suorum moralem exigentiam et proportionem; ergo remuneratio meritorum ab hac justitia per se procedit. Et confirmatur primo, quia in hac parte eadem est ratio de punitione malorum et retributione bonorum operum; sed punitione malorum ab hac justitia procedit; ergo et præmium bonorum. De minori propositione seu vindicativa justitia dixi late in dicta disputat., sect. 6, ubi ostendi in privata persona non esse specialem virtutem distinctam a reliquis, quia propulsare injuriam vel punitionem ejus procurare, non est actus habens ex objecto specialem honestatem, quia non est per se amabile, sed tantum ut remedium ad tuendum proprium bonum, vel cavenda similia mala, et ideo ex fine accipit honestatem, et ita ad illam virtutem pertinet, ad quam finis honestus spectat. Ut autem modo etiam recto fiat, justitia commutativa illum moderatur, ut ibi explicuit. At vero in persona publica, et maxime in Deo, punitione malorum est ratio per se necessaria ad rempublicam recte gu-

bernandam, et ideo ad justitiam illam, quæ publicum regimen ex parte affectus moderatur, pertinet; idem ergo est de remuneratione bonorum, est enim eadem ratio. Denique in humano principe justitia legalis est, quæ hujusmodi actum elicit; cur ergo non idem cum majori excellentia Deo tribuemus, cum ad perfectionem pertineat, nullamque imperfectionem includat?

23. *Secunda pars conclusionis probatur.* — Altera vero pars negativa assertionis probatur, quia justitia commutativa non potest intelligi in Deo, nisi præcedat ejus promissio et pactum; quia tunc actus dicitur esse ex commutativa justitia, quando ex obligatione ejus procedit, ita etiam in præsentis loquimur; Deus autem non est capax hujus obligationis nisi ex pacto suo voluntario, ut in dicta disputatione ostendi, et in sequenti assertionem dicam. Dices: saltem distributiva justitia potest a Deo esse absque prævia promissione; ergo hæc præmiorum retributio ab illa procedit, etiamsi merita in promissione non fundentur. Imo hanc justitiam maxime videtur servare Deus in suæ providentiæ dispositione, ut D. Thomas tradit, 1 part., quæst. 21, art. 1, in corpore, et ad 3. Respondeo, ex his quæ in dicta disputat., sect. 3, docui, justitiam distributivam inde denominatam esse, quod in distributione et distinctione communium bonorum proportionem inter plures servat. Hæc autem sola ratio, nisi fundetur in speciali jure, ac debito proprio illius justitiæ particularis, quæ per antonomasiam dicta est, non sufficit ad constituendam specialem virtutem, sed multis virtutibus communis est. Nam etiam commutativa justitia interdum illam proportionem servat, et misericordia, et gratitudo, et observantia; imo et charitas, sicut in propriis servat debitum ordinem, ita etiam in beneficentia, prout secundum ordinem charitatis necessaria est. Dico ergo in hac remuneratione meritorum, de qua loquimur, licet a justitia gubernativa eliciatur quoad substantiam (ut sic dicam), servare Deum modum et proportionem distributivæ justitiæ: vel quia ex eo quod unicuique tribuit juxta meritum, seu debitum suum, resultat consequenter illa proportio inter plures; vel quia etiam illa proportio pertinet ad pulchritudinem et commune bonum universi, et ita illam etiam observat Deus ex vi suæ sapientiæ, et justitiæ rerum moderatricis, neque ibi est necessaria alia specialis justitia. Nec di-vus Thomas aliud intendit, si attente doctri-



na corporis articuli cum solutione ad 3 conferatur.

24. *Explicatio amplior, quare merita citra promissionem non sint de condigno.* — Atque hæc assertio et doctrina communis est omnibus meritis, quæ non attingunt perfectionem meriti de propria justitia, quæ per antonomasiam dicitur de condigno, propter specialem perfectionem moralem quam habet, a qua reliqua deficiunt quæ de congruo dicuntur, sive sint imperfecta per comparisonem ad præmium, sive sint præmio proportionata, careant tamen pacto, et sufficienti promissione divina, nam si quæ talia essent, non essent ex propria justitia apud Deum, ideoque non haberent ab ipso præmium, nisi ad summum ex vi hujus generis justitiæ quam explicuimus. Ac subinde non essent merita simpliciter de condigno apud Deum, sed possent dici de congruo, quia non ex proprio justitiæ debito, sed ex illa congruitate quam generalis justitia attendit, illis præmium redderetur. Quia non sufficit quod in opere sit æqualitas et condignitas respectu præmii, si in illo non sit vis moralis ad obligandum Deum. Unde aliud est opus esse dignum præmio absolute, aliud esse meritorium de condigno apud aliquem, quia ad primum sufficit proportio inter meritum et præmium, ad secundum autem necessarius est specialis respectus ad talem personam, propter quam ad tale præmium reddendum ex justitia obligetur. Sicut miles meretur de se tantum stipendium, sed non apud quemlibet regem, sed apud illum cui servit, vel cum quo pactum fecit. De merito ergo de condigno in hoc rigore sumpto dicendum superest.

25. *Assertio quinta in ordine.* — *Probatur auctoritate.* — Dico secundo: quando meritum est proportionatum et æquivalens præmio, et fit sub pacto Dei, seu promissione sub conditione talis operis, tunc Deus reddit præmium ex peculiari virtute justitiæ vera ac propria, et a justitia generali per modum diversi attributi ratione distincta. Hanc assertionem tractavi late in dicta disput., section. 2, declarando in Deo hunc justitiæ modum. Eamque tribuo omnibus Doctoribus, qui, ad meritum de condigno et de justitia, Dei pactum seu promissionem sub conditione talis operis requirunt. Nam, si ex vi talis promissionis modus justitiæ non cresceret in merito, nec alterius rationis esset, frustra dicerent tale pactum esse necessarium, præsertim propter meritum justitiam, ut iidem af-

firmant, quos supra c. 19 recensui. Atque hoc modo potest confirmari ex Concilio Tridentino, sess. 6, c. 16, ubi cum promissiones divinas factas operibus justorum ex Scriptura retulisset, subdit: *Atque ideo bene operantibus usque in finem, et in Deo sperantibus proponenda est vita æterna, et tanquam gratia filiis per Christum Jesum misericorditer promissa, et tanquam merces ex ipsius promissione bonis ipsorum operibus, et meritis fideliter reddenda, hæc est enim illa corona justitiæ,* etc. Ubi duos titulos et rationes distinguit sperandi beatitudinem, ut hæreditatem filiorum, et coronam justitiæ, et, juxta illos, duas etiam videtur promissiones Dei docere: una est, qua promittitur ut gratia, id est, ut hæreditas gratiæ respondens, juxta illud: *Si filii, et hæredes,* et ut merces, id est, ut corona justitiæ. Ergo sentit, ex posteriori promissione, quæ est sub conditione operum, majus justitiæ debitum quam ex priori simplici et absoluta promissione oriri. Unde cum ex priori oriatur fidelitatis debitum, necesse est ut, ex posteriori, conditione operum impleta, major et prior justitiæ ratio nascatur.

26. *Corroboratur multipliciter.* — Deinde, ex testimoniis quæ Concilium allegat potest idem corroborari. Præsertim ex illo ad Hebr. 6: *Non est injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri,* inde enim colligimus talem esse justitiam hominis ad Deum ratione meritum de condigno, quod esset Deus injustus, si præmium eis denegaret, nullo posito obice ex parte justorum. At vero justitia prior legalis seu providentialis non est talis, nam, licet Deus interdum nolit secundum eam debitum reddere, non erit injustus; ut, verbi gratia, si vellet peccatores non punire, vel meritis de congruo retributionem denegare, ut in d. disp., sect. 5, cum Scoto notavi; ergo illa justitia, qua debetur præmium meritis de condigno, alterius rationis et majoris debiti est. Nec satisfaciet qui dixerit verba interpretanda esse, *Non est injustus,* id est, non est infidelis; tum quia non oportet Scripturæ verba improprie interpretari, quando nulla subest necessitas, quæ hic non subest, ut mox videbimus; tum etiam quia Concilium Tridentinum in sensu magis proprio videtur verba illa inducere, cum ex illis colligat majorem rationem justitiæ in meritis justorum, quam ex sola simplici promissione oriatur; tum præterea quia, si Paulus de sola fidelitate et simplici promissione loqueretur, potius dixisset: *Non est injustus Deus, ut sui*

verbi obliviscatur; non sic autem dixit, sed, *ut obliviscatur operis vestri,* significans non solum contra fidelitatem promissionis, sed contra justitiam ipsorum meritum futurum fuisse, si Deus illorum oblivisceretur. Unde Augustinus, lib. de Nat. et grat., cap. 2: *Non est injustus Deus, ut justos fraudet mercede justitiæ;* et l. 4 contra Julian., cap. 5: *Deus ipse, quod absit, erit injustus, si ad ejus regnum verus non admittitur justus.* Denique hoc confirmat usitatus et frequentissimus Scripturæ loquendi modus, quia nominibus propriæ justitiæ utitur, quoties de mercede justorum loquitur, ut in dicto capite allegavi, et præsertim ponderavi duo testimonia. Unum, illud Pauli: *Superest mihi corona justitiæ, quam reddet mihi in illa die justus judex,* quia non contentus Apostolus appellasse coronam justitiæ, iterum commemorat judicem justum, ut significaret, etiam ex parte retribuētis, justitiæ debitum intervenire. Quod debitum aliis locis explicat per comparisonem ad bravium, 1 Corinth. 9, et ad depositum, secundæ ad Timoth. primo, quæ quidem ex justitia debentur. Aliud testimonium est verbum Christi in parabola mercenariorum vineæ: *Nonne ex denario convenisti mecum? tolle quod tuum est,* ubi explicatur, et obligatio ex parte patrisfamilias, orta ex conventionem, quæ ad justitiam pertinet, et jus proprium mercenarii, cum ei dicitur: *Tolle quod tuum est.*

27. *Probatur secundo ex ratione.* — Tandem addimus rationem, quia in meritis nostris de condigno respectu Dei reperitur quicquid ad veritatem et proprietatem particularis justitiæ necessarium est, et talis justitia potest in Deo reperiri sine ulla imperfectione, et aliunde auget perfectionem, et fiduciam nostrorum meritum; ergo non est neganda, sed Deo ac nobis respective tribuenda. Consequentia videtur evidens, tum quia nulla perfectio, quæ sine imperfectione inveniri potest in Deo, neganda est illi formaliter ac proprie, quia talis est perfectio, quam simpliciter simplicem vocant; tum etiam quia cum Scriptura tam frequenter totque modis de justitia ista loquatur, si commode potest proprie intelligi, non est ad improprios sensus detorquenda. Probatur ergo major, nam ut D. Thomas ait 2. 2, quæst. 106, art. 1, ad 2, in hoc distinguitur justitia a gratitudine, quod *retributio proportionalis pertinet ad justitiam commutativam, quando attenditur secundum debitum legale, puta si pacto firmetur, ut tan-*

*tum pro tanto retribuatur, sed ad virtutem gratitudinis retributio pertinet, quæ fit ex solo debito honestatis, quam scilicet aliquis sponte facit.* Omissa autem hac posteriori parte, de qua jam dictum est, et de retributione pro beneficio suscepto intelligenda est, prior est quæ nostro deservit instituto. Ex illa ergo doctrina sic concludo: retributio meritum de condigno, quam Deus facit, firmata est pacto inter nos et ipsum, ut supra visum est; ergo fit secundum debitum legale, nam debitum non dicitur legale, quia ex lege vel præcepto oriatur, nec D. Thomas ita illud definivit, sed vocatur legale, quia non est ita spontaneum, sicut debitum honestatis seu gratitudinis, sed cum majori necessitate et obligatione, qualis solet ex lege provenire, vel qualis ex pacto oritur. Unde D. Thomas ad hoc legale debitum sufficere arbitratus est, *quod pacto firmetur.* Ergo cum retributio meritum apud Deum pacto ejus firmata sit, erit secundum debitum legale. Rursus in ea tantum pro tanto retribuatur, ut constat ex supra dictis de æqualitate meritum de condigno cum præmio etiam vitæ æternæ; ergo illa retributio est secundum veram et propriam justitiam particularem. Minor autem propositio dupliciter probari potest: primo ostensive ex ipsa majori, quia quod Deus retribuatur præmium æquale, seu tantum pro tanto, cum æqualitate proportionis, et quod id faciat ex pacto firmato, nullam includit imperfectionem, quia ex Scriptura et ex doctrina catholica de facto ita facit, et nihil imperfectione et majestate sua indignum facit; sed id sufficit ut ex vera justitia faciat; ergo retribuere merita ex justitia, nullam imperfectionem involvit. Secundo, id probari potest excludendo imperfectiones quæ solent contra hanc justitiam opponi, quod late in dicta disputatione fecimus, et nihil de novo objectum invenio, quod novam difficultatem ingerat, ut paulo post breviter attingam.

28. *Dubium.* — *An de justitia commutativa vel de distributiva loquatur assertio.* — *Resolvitur de utraque justitia debere intelligi.* — Ad majorem enim hujus rationis evidentiam et assertionis declarationem, necessarium est prius commune dubium expendere, de qua scilicet justitia particulari assertio intelligenda sit, an de commutativa vel distributiva? Nam ratio facta videtur concludere de commutativa, cum tamen pauci Theologi illam in remuneratione meritum admittant, et D. Thomas, 1 p. q. 21, art. 1, eam simplici-